

felix an infaustus fuerit, tempore nativitatis: si quis fortunam adstringere velit fatis Astrologicis. Sed Principem novimus hoc Symbolo clarum, quem credimus attulisse sensum allegoricum, deductum ex Astrologia ad Politicam: non est, cur prudentiam, nobilitatem, dexteritatem jactitemus, cum felicitatis hæc sit differentia, quos Patronos, quos admiratores, quos rerum nostrarum fautores, sub primum fortunæ politicæ ingressum nanciscamur. Ita non ignotus Poëtæ versiculus versatur etiam in ore puerorum:

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt.

Quo innuitur, ingenii opera post mortem servari integra, perditis divitiis, honoribus, deliciis. Interim non ita pridem obiit Vir apud suos illustrissimus, qui interpretatione admodum Politicâ primam versiculi partem ingeminavit, quoties cerneret hominem exiguis opibus suffultum, sufficere tamen inveniendis mediis, quibus splendorem, semel receptum sustineri, plane ut Claudianus *In Ruffin, Lib. 1. vers. 216.*

-- -- -- *Natura beatis*

Omnibus esse dedit si quis cognoverit uti.

Historico - Politicum.

Barclajus in Argenide jam laudata *Lib. 2. cap. 4.* Armillam fingit Poliarcho destinatam, sed jussu Lycogenis veneno imbutam. Quid si hanc Armillam quis existimet Margaretham Henrici IV. Sponsam? Certè huc non respexit Auctor, qui Lanienam Parisiensem non potuit comparare veneno. Sed Ænigmatum hæc est fortuna, ut crucem figant legentibus, simulq; iniquum vel alienum sentum affingi patiantur Scribentibus.

Logicum.

Anno 1621. Reformati per Galliam acto conventu se invicem obstringebant juramento, ne arcana unquam revelarent